



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

Dominica Pentecostes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

aspicio, aspiciensque corde ascen-
do.

DOMINICA PENTECOSTES.

Veni, amor DEUS, veni Numen,
& lumen: mitte ignem tuum in os-
sibus meis, & erudi me: da linguas
igneas, & doce me tacere, ac loqui:
lava, riga, sana, flecte, fove, rege
sordidum, aridum, saucium, rigi-
dum, frigidum, devium: cor meum:
fac, ut verè amet. Displicet mihi,
quicquid mali fit contra te! placet
mihi, quicquid fit boni! atque uti-
nam prohibere possem mala omnia;
& bona, quæ fiunt, augere omnia,
ac omnium cordibus amare te; sin-
gulisque momentis vitæ meæ tan-
tum facere boni, quantum factum
est ab ullo unquam! ut quemad-
modum tibi displicet is, qui aliena
peccata facit sua; ita tibi placeam
ego, cum arte amoris tui, aliena
bona opera omnia facio mea, gra-
tulando de illis tibi, & optando
illa omnia facere infinitè. Gaudeo
fieri ab aliis ea bona, quæ à me fieri
non possunt; vel quæ per ignaviam
omisi, cum possem. Utinam mea,
& omnia omnium peccata possem
in pretiosissimos, tibi que gratif-
simos,

22 DIES, & FESTA

simos, excelsæ erga te charitatis, actus, adeoque ipsas inferni flammæ (si id tibi placeret) in æternum tui amoris ignem convertere, ac omnia corda frigida linguis igneis tibi accendere! Quicquid boni accepit ullus à te, gratias ago tibi! Quicquid boni fecit ullus, gratulor tibi, & illi! Ego valdè parùm possum, & minus facio: accipe, pro supplemento, gaudium, quo gratulor omnibus Electis tuis, pro omnibus bonis, quibus delectantur te! accipe desiderium, quo opto, ut ameris; utinam tot Seraphicorum chororum cordibus, quot tu mente tuâ infinitâ potes concipere! O Patris, ô Filii amor æterne: gratulor, quòd sis Deus! Gratulor, quòd infinita illa pulchritudo, & bonitas ametur à se ipsâ tantum, quanta est ipsa: & peto, ut ille tuus erga te amor, sit magister meus, & operiat multitudinem peccatorum meorum, ac profus exurat dolore, qui ab amore tuo ardere discat, meque tibi in holocaustum dare.

DOMINICA SSS. TRINITATIS.

Credo, spero, amo te, SSS. TRINITAS, unus Deus, incomprehensi-